

potestas esset erepta: de ejus interitu, quis potest credere, senatum judicium novum constituendum putasse? Cur igitur incendium curiae, oppugnationem aedium M. Lepidi, caedem hanc ipsam, contra rempublicam senatus factam esse decrevit? quia nulla vis unquam est in libera civitate suscepta inter cives, non contra rempublicam. Non enim est illa defensio contra vim unquam optanda: sed nonnunquam est necessaria. Nisi vero aut ille dies, in quo. Ti. Gracchus est caesus, aut ille, quo Caius, aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiamsi e republica, rempublicam tamen non vulnerarunt.

VI. Itaque ego ipse decrevi, cum caedem in Appia factam esse constaret, non eum, qui se defendisset, contra rempublicam fecisse: sed, cum inesset in re vis et insidiae, crimen judicio reservavi, rem notavi. Quodsi per furiosum illum tribunum senatui, quod sentiebat, perfidere licuisset, novam quaestionem nunc nullam haberemus. Decernebat enim, ut veteribus legibus tantummodo extra ordinem quaereretur. Divisa sententia est, postulante nescio quo (nihil enim necesse est omnium flagitia proferre). Sic reliqua auctoritas senatus, emta intercessione, sublata est. At enim Cn. Pompejus rogatione sua et de re et de causa judicavit: tulit enim de caede, quae in Appia via facta esset; in qua P. Clodius occisus fuit. Quid ergo tulit? nempe ut quaereretur. Quid porro quaerendum est? factumne sit? At constat. A quo? At patet. Vedit igitur, etiam in confessione facti, juris tamen defensionem suscipi posse. Quod nisi vidisset, posse absolviri eum, qui fateretur; eum videret, nos fateri: neque quaeri unquam jussisset, nec vobis tam salutarem hanc in judicando litteram, quam illam tristem dedisset. Mihi vero Cn. Pompejus non modo nihil gravius contra Milonem judicasse, sed etiam statuisse videtur, quid vos in judicando spectare oporteret. Nam qui non poenam confessioni, sed defensionem dedit, is causam interitus quaerendam, non interitum putavit.